



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &
Festos, ab ipso Auctore confectus

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1651

2. Tres justæ permissarum tentationu[m] caussæ.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45701

gunt? Tentatus est David, & cecidit; tentatus Petrus, & Christum negavit; tentati reliqui Apostoli, & omnes, relicto eo, fugerunt; denique quisquis damnatus est hominum adulatorum, per tentationem in peccatum, per peccatum in infernum lapsus est. An non igitur præstaret, tentationes in Mundo nullas esse, cum, sicut occasio furem, ita tentatio videatur facere peccatorem?

II. Hæc ipsa de permissione tentationum, tentatio maxima est, & quidam scopulus piorum; ita tentatio ferit tentationem. Sed multa sunt, è quibus ei fiat medicina. Primum est, si consideremus, ob quamnam causam, fomitem in nobis, concupiscentiasq; , & alios inordinatorum motuum fontes reliquerit Deus,

In vita Leonard. Lessij, quam Bruzellis edidit Thomas Courtois. c. 12. §. 64.

Nam, ut in vita optimi P. Leonardi Lessij legimus, Lessius has affectiones, tribus potissimum de causis, tamquam hereditarios hostes, post primorum scelus parentum, in nobis relictas volebat. Primo, ut propria miseria inopiaq; conscy, dum natio quodam pondere in calamitates ac scelera labi nos perficimus, deposito fastu, ipsos nos abijcimus. Deinde ut esset insignium victoriarum locuples materia, dum quotidiana militia aut vincere generosi, aut occumbere socordes cogimur. Tertio, ut auxiliares è calo & opes, & copias gerendo bello deposcamus, adeoq; utili quadam necessitate, Deo frequenter supplices, magno bono nostro accidere compellamur.

III. Hæ causæ sufficiunt ad DEVM non iam excusandum, sed laudandum, ob morbos animi tam utiles in nobis relictos. Deinde, si de interno malo loquamur, etiam atque etiam expendendum est, ferocissimum quidem esse, & maximarum virium infernum hostem, voluntateq; acerbissima, sed non minus in manu Dei Mundum gubernantis, atque cetera omnia. Sicut ergo diuina prouidentia mari posuit terminos; sicut continet flumina, imbres, tempestates, belluas, aliaque mala; ita etiam frenat diabolicam potestatem, eiusque vim intra certos limites cancellosque cohibet. Id eum posse, docet eius omnipotentia; id nosse, ostendit summa sapientia; id velle, demonstrat infinita bonitas & charitas: ut proinde non sine graui culpa sit, qui ei culpam ascribit; & crudeliter cogitet, quicumque eum accusat crudelitatis. Dolis pullulat orcus, ex astutijs confutus est caco-dæmon; fraudibus, mendacijs, violentia, blanditijs nouit

nouit